



Quæstionum, Et Resolvtionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regvlares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. IX. De qualitatibus in provisione beneficii exprimendis, & observandis; & quando status ultimus sit attendendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

Quæst. & Resol. benefic. Cap. IX. & X.

CAPVT IX.

De qualitatibus in provisione beneficij exprimendis, & observandis; & quando status ultimus sit attendendus.

SVMMARIVM.

- 1 In beneficij impetratione exprimi debet, si residentiam requiratur.
- 2 Si ex fundacione collatio fieri debeat oriundo ex certo loco, non valet collatio facta extraneo.
- 3 Capella est incompatibilis cum canonicatu, si illa assiduum servitium & residentiam requiratur.
- 4 Ultimus status in beneficalibus attendendus est.
- 5 Provisiones Apostolicæ non mutant statum beneficii.
- 6 Ultimus status non attenditur, quando constat legitime de statu precedenti, nisi probetur præscriptio cum alijs requisitis.
- 7 Quæ sint necessaria, ut status beneficii fuerit legitime præscriptus.
- 8 Si ob defectum heredium fundatoris, Ecclesia libertatem acquirit, collatio nihilominus fieri debet habenti qualitates ex fundacione requisitas.
- 9 Præscriptio non est extendenda, sed tantum præscriptum quantum possessum.

Cum ex lege fundacionis Capellania continuam residentiam exigat, nec alijs quàm oriundis ex illo loco, ubi fundatio facta erat, conferri deberet; si non expressè, vel falsò narrata fuerat qualitas residentie, collatio hoc ipso nulla erat, præsertim si alteri quàm originario loci illius facta fuisset. Qualitatem siquidem beneficii requirunt residentiam; omnino exprimendam esse in illius impetratione certum est; aliàs nullam esse collationem. Selua de benef. part. 3. quæst. 11. numero 42. Gonzal. ad reg. 8. §. 9. num. 30. Et adeo regula Cancellariæ 63. de expressione qualit. in benef. impetr. Quod autem attinet ad aliam qualitatem requisitam ex fundacione, quod beneficium non possit alteri quàm oriundo ex loco conferri, certum etiam est non solum qualitatem illam in impetratione beneficii exprimendam fuisse, sed etiam collationem alteri quàm filio patrimoniali, seu oriundo ex loco factam, nullius esse momenti. G. rz. de benef. part. 7. cap. 19. n. 1. 2. & seqq.

Sed restabat difficultas, quia videbatur quod status illius beneficii mutatus fuisset; cum per plures annos illa Capellania absque onere residentie possessa fuisset: ad quam licet Capellanus ex fundacione teneretur, quia erat obligatus assistere divinis officiis in Choro, & ideo non poterat simul cum Canonicatu obtineri: ut ostendit Barbof. in tract. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 28. Tamen ultimus illius possessor Capellaniam obtinuit simul cum Canonicatu: & certum est autem in materia beneficali, semper attendendum esse ultimum statum. Rot. Decis. 49. in antiq. sub tit. de Rescript. Ferret. conf. 382. num. 11. & 12.

Quæ tamen difficultas non obstat, tum quia provisiones ultimi possessoris erant Apostolicæ, quæ non mutant statum beneficii. Achill. decis. ult. de Iur. patr. Rot. decis. 421. n. 2. part. 2. recent.

Tum etiam, quia quando constat de legitimo statu

precedenti, non attenditur ultimus status contrarius, nisi probetur legitime præscriptus, & mutatus spatio quadraginta annorum. Gratian. discept. forens. c. 574. num. 13. & 14.

Tum, & denique; quia ad mutandum statum beneficii, ultra quadragenariam, plura alia requiruntur, nempe potestas, & voluntas superioris, necnon etiam bona fides, & præterea scientia & patientia illorum, qui ex hac status mutatione præiudicium recipiunt, quæ in hoc casu non concurrebant. Ad den. ad Ludovis. decis. 34. num. 20. Et plenè Rot. coram illustri bon. mem. Dunozetto in Lucana Iuris patronatus de podijs, diebus 23. Martij & 20. Novembr. 1620. ubi quod animus Ordinarij non præsumitur fuisse mutandi statum beneficii, quando brevis temporis spatium intercessit, & non concurrentibus requisitis, de quibus supra. Quorum decisionum prior, quæ est sub 23. Martij, inserta post tract. Viuiani de Iure patr. decis. 29.

Neque prædictis obesse potest quod mortuo sine hæredibus fundatore, aut alijs non comparentibus illius successoribus, Ecclesia libertatem acquisiverit, & ius conferendi fuerit omnino devolutum, & translatum in Episcopum. Quia devolutio ad Superiorem facta intelligitur cum omnibus qualitatibus, oneribus, & conditionibus, quæ ex fundacione requiruntur. Barbof. de Episcop. par. 3. alleg. 72. numero 119. Francisc. Marc. decis. 494. numero 7. part. 1. Gutier. conf. 1. numero 31. Lambertin. de Iure patr. in 7. quæst. princip. 3. part. 1. art. 13. lib. 3. Garz. de benef. par. 10. cap. 3. num. 42. Et nominatim quoad illam qualitatem requisitam, quod provisus sit filius patrimonialis: quia & quamvis in cæteris aliqua præscriptio allegari possit, ex eo nihil inferri possit ad istam qualitatem; siquidem tantum præscriptum, quantum possessum. Scraphin. decis. 1404. num. 2. Barbof. Axiom. 211. n. 13.

CAPVT X.

De incompatibilitate officiorum Procuratoris Generalis, & Provincialis apud Regulares.

SVMMARIVM.

- 1 Officium Procuratoris Generalis est incompatibile cum officio, seu munere Provincialis.
- 2 Capitulum nihil potest statuere adversus ordinationem summi Pontificis, & n. 4.
- 3 Capitulum habet manus ligatas per clausulam decreti irritantis.

PROCURATORES Generales Ordinis per summum Pontificem in Romana curia, & in curia Christianissimi Francorum Regis deputati; ea lege, ut suis respectivè fungerentur officiis, usque ad proximum tunc capitulum generale, quod in brevi celebrari mandabatur; non poterant in capitulo intermedio eligi in Provinciales, & cum onus Provincialis sit incompatible cum onere procuratoris generalis, nec aliquis religiosus simul & semel duo officia, personalem residentiam requirentia, aut personarum & dignitatem habentia, sine dispensatione obtinere possit, argum. cap. de multa, de Prabend. Mirand. in manual. prelat. regul. tom. 2. quæst. 3. art. 3.

Renunciatio verò officij Procuratoris generalis, & quam